

del Lazio ,,

libell. 500.000.
fferenda
eiusque provinciis conterminis
amplificandis

concreditae fenus rependit
es vel per litteras instituit.
ssessoris nomine, sive cuique
rva summa agatur.
e non fructiferas syngraphas;

emit venditque.
it, aliorumque nomine obliga-
us, solvit.
committentibus gerit; locaria

Cestari, 21
RUM, PRAENESTE, SUBLACI

JOSEPHI FORNARI

LESIAE FABULAE
accommodatae apud eph-
facile agendis.

RIDIANUS
SIVE
INCONDITO ADULESCENTE
ET
ICISCULI PRANDIUM


Almae Romae commentarium
ROMAE
del Governo Vecchio, n. 96
eneunt singillatim libell. 1.00.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba (cum off. in opp. *Canale*), *Albano Laziale*, *ALESSANDRIA* (in Aegypto), *Arezzo*, *Avezzano*, *Bagni di Montecatini*, *BARCELLONA* (in Hispania), *Bengasi* (in Cyrenaica), *CAIRO* (in Aegypto), *Canelli*, *Castelnuovo di Garfagnana*, *COSTANTINOPOLI* (in Turcarum Imperio), *Derna* (in Cyrenaica), *Fabriano*, *Fermo*, *FIRENZE*, *Fossano* (cum off. in opp. *Centallo*), *Frascati*, *Frosinone*, *GENOVA*, *Lucca*, *MALTA*, *MILANO*, *Mondovi* (cum off. in opp. *Carriù*), *Montblanch* (in Hispania), *NAPOLI*, *Orbetello*, *Orvieto*, *PARIGI* (in Gallia), *Pinerolo*, *Porto S. Giorgio*, *Siena*, *Tarragona* (in Hispania), *Tivoli*, *TORINO*, *Torre Annunziata*, *TRIPOLI* (in Africa), *Velletri*, *Viareggio*, *Viterbo*.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit:

- a) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3 %, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000. — Pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est;
- b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4 %, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim;
- c) parsimoniae foventae sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA:

- a) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur;
- b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;
- c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae;
- d) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur;
- e) exteros nummos negotiatur eorumque collybum exercet.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Res in custodiam Mensae traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA fiduciarias res accipit: pecuniae nomina, capsas, cistas latae etiam mensurae, modicam sibi retributionem repetens ex declarato pretio. Recipit pariter pecuniam ad publicorum operum administrationem, nomina tum industriae tum commercii, libellos ad parsimoniam, etc. Deposita huiusmodi fasciculo non clauso exhibentur; acceptorum testimonium concrederint traditum, in quo singillatim res describuntur. Ad ipsius concrederint libitum, pretium syngrapharum exiguntur, nomina sorte ducta explorantur, etc.

Res capsarum in custodiam traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA peculiare ufficium constituit ad res pretiosas, pecuniam, nomina aliaque huiusmodi servanda in capsis conducticis ex chalybe, quae, in magno conclavi collocatae, omnino pariter ex chalybe exstructo, securitatem maximam tum contra incendia, tum contra violationem quamlibet offerunt. Huiusmodi capsae habentur parvae, mediae, maximae, habentur quoque et armaria; locationisque pretium est prouti sequitur:

	Ad mens. 12	Ad mens. 6	Ad mens. 3	Ad mens. 1
Pro capsis parvis:	lib. 15	lib. 10	lib. 6	lib. 4
» » mediis:	» 25	» 15	» 10	» 8
» » magnis:	» 30	» 20	» 15	» 10
Pro armariis:	» 40	» 30	» 20	» 15

praeter custodiae ius pro singulis lib. 1000 (ad minimum lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad annum. — Depositor libere sua capsa frui potest ab hora decima ad decimam septimam cuiusque diei, festis exceptis.

Pretium ann
march. 1
FORNARI

SOC

Italici
parsimonia
cum ipso o
narum part
et nos Alm
mense fasci
constituant.
sint, nos et t
vimus, et op
manebit, dar
lemento vale

Quod ad
sandum, non
a sociis postu
quod nobis de
ribus praesert
Romae fasci
socios adnum
inter omnes co
mittentem res
obolum quiden
nobis isti insin

LL. 75.000.000

e in propriis aedibus
(S. Marcello)

xteras civitates:

RIA (in Aegypto), Arezzo, Avez-
zo, Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO
ANTINOPOLI (in Turcarum Im-
perio), Fossano (cum off. in opp. Cen-
LANO, Mondovì (cum off. in opp.
ieta), PARIGI (in Gallia), Pinerolo,
TORINO, Torre Annunziata, TRI-

NES ET NEGOTIA.

nine accipit:
us rependens ad 3 %, data facul-
tudinum dierum, lib. 25.000; dierum
deatorae conveniendum est;
trictis, lucro annuo 4 %, si vincu-

0 %, cum facultate quotidie defe-
300. De maiore vero summa man-
eptem usque ad lib. 5000; ad dies

fide pollutum subscriptione muni-
i argentaria res publice agatur;
legem d. 27 Ianuarii 1877 latam,
t;iam reportat sub praesidio fundo-
m industriae privatae;
a tum Italiae tum exterarum gen-
eret.
lummariae sunt.

traditae.

pecuniae nomina, capsas, cistas latae
clarato pretio. Recipit pariter pecu-
i industriae tum commercii, libellos
iso exhibentur; acceptorum testimo-
tur. Ad ipsius concrentis libitum,
antur, etc.

1 traditae.

onstituit ad res pretiosas, pecuniam,
ex chalybe, quae, in magno conclavi
a maximam tum contra incendia, tum
habentur parvae, mediae, maxima;

ut sequitur:

Ad mens. 3	Ad mens. 1
lib. 6	lib. 4
» 10	» 8
» 15	» 10
» 20	» 15

m lib. 1000), constitutum lib. 0.35 ad
decimam septimam cuius-

Ann. IV.

Romae, Idibus Maiis MCMXVII

Fasc. V.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40;
march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

SOCIIS ATQUE LECTORIBUS

COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Italici regii legati decretum, dat. die xix mens. Apr. MCMXVII, de chartae parsimonia bello perdurante adhibenda, edicebat ut Commentarii tot paginis cum ipso operculo in posterum componerentur, quot tres ad summum paginarum partes exaequarent, quae ante mensem Iunium MCMXV ederentur. Itaque et nos *Almae Romae* folia ita deinceps imminuere coacti erimus, ut altero mense fasciculum paginarum viginti, altero paginarum sexdecim in universum constituant. Quo vero detrimenti minimum socii atque lectores nostri passuri sint, nos et typorum minori « corpore », quod vulgo audit, uti passim designavimus, et operculi nuncios aliquot remittere. Ita et rerum substantia fere eadem manebit, damnunque unicum nobis erit, qui nunciorum haud exiguo emolumento valedicemus.

Quod ad resarcendum, itemque ad difficillimi temporis necessitatibus occursum, non utique, ut alii Commentarii, extraordinarium pecuniae tributum a sociis postulamus - (si sponte venerit, haud certe despiciemus); - sed tantum quod nobis debetur repetimus, subnotationis premium cito missum; a moratoribus praesertim, inter quos haud iniuria referendos putamus, qui quum *Almae Romae* fasciculos speciminis gratia recepissent; moniti non semel ut, nisi inter socios adnumerari vellent, eos redderent - (quod nullo impendio facerent, quum inter omnes constet, quae a publico cursu tradita recusentur, gratuito ea admittentem restitu) - eos, et qui sequuti diutius sunt, retinuerunt profecto, nec obolum quidem unquam solverunt. Nonne indebitae in rem suam conversionis nobis isti insimulandi fuerint?

Dum igitur sperare iuvat, fore ut novae huic invitationi nostrae ii, ad quos spectat, respondeant, nos alte confirmamus, cumprimis adversus pusillos eos, qui nobis auctores fuerunt ut *Almae Romae* editionem pro nunc interrumperemus, post horrendum hoc flagitium resumpturi, a nobis incoepsum opus, donec erunt vires, haudquaquam iri diremptum; eoque magis confirmamus, quod vehementer sentimus ex ipsa immani, quae fuit, rerum conflagratione, diem magnis itineribus appropinquare, quo *Almae Matris* sermo unus nationum odia ac simulantes componere valeat, populosque amplissimo arctissimoque complexu tenere.

Eruntne haec veluti aegri somnia, cui vanae finguntur species? Eventus, quos fidenter exspectamus, docebunt.

ALMA ROMA.

**De rationibus
quae ad latinae linguae cognitionem
facilius ducant.¹**

III.

In serie et syllabo auctorum, e quibus labialis sermonis puritatem et elegantiam depromi posse puto, comicis Plauto ac Terentio praemisi Cornelium Nepotem, Caesaris commentarios, orationes Ciceronis, et ni fallor, alias quosdam; nec fortasse temere. Nam comici introducunt varias personas colloquentes, ubi multae occurunt locutiones ellipticae ac figuratae, quaeque illico abrumpuntur, et ab alia persona interrumpuntur: in rem itaque erit prius assuescere stylo pleno, plano et fluido, antequam ad comicos itur, ne stylus postea sit hiulcus, incertus et abruptus. Addo, quod personae apud comicos non sint eiusdem generis atque dignitatis. Quemadmodum igitur alias ornatus regi, alias homini privato convenit,

aliud schema militem, aut agricolam aut mercatorem condecet, neque calcei Sicyonii aequa Socratem atque alias ornant; ita sermo eiusdem generis et elegantiae vix Davo et domino recte tribuitur; sed ex charactere in charactrem aliquando fit saltus. Horatius ad Pisones optime de hoc negotio scripsit:

*Intererit multum Davusne loquatur herusne
Maturusne senex, an adhuc florente iuventa
Fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli,
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.*

Hoc qui pensi habet, cur auctores aliquot elegantis et fluentis styli in prima acie locaverim, non habet ut miretur.

Plautus hos forsitan sequitur non incommode; quamvis enim multa habeat recondita, obsoleta et minus trita, proprie tamen et eleganter loquitur. Aulus Gellius equidem latinorum verborum elegantissimum appellavit Umbrum hunc pistorem; Varro, ex Stolonis sententia, dixit Musas Plautino sermone loquuturas fuisse, si latine loqui vellet; Cicero denique non tantum miratur iocandi genus elegans, urbanum,

ingeniosum, facetum quo Plautus excellit,¹ verum etiam eius elegantiam.²

Non sum nescius viros cordatos consideratosque, ut uterque scholis exsularet, Plautus ac Terentius, habuisse in votis, quod scabiem aliquam viridioribus annis facili negotio possint affricare atque relinquere, quum verecundiae limites haud raro liberius transilient; nec inficias ire audeo, quum aliquot scenas, in utroque comico, celeri oculo dumtaxat libo, quas citare piget, pudet: nemo enim non videt gliscentes et periculosas scintillas sub cinere hoc delitescere, ex quibus facile incendium oriri queat. At prudentis praceptoris munus erit res ad aetatis rationes omnia aptare, atque lapidem hinc etiam opportune removere.

Porro Terentius cur Plautum sequatur, non autem praecedat, ex Varronis et A. Gelli discursu palam fit; ex quo facile concludere licet, rebus verba Plautum, Terentium res verbis accommodasse.

Cur autem adultae aetati Sallustium et Senecam iure merito reservari oporteat, sub ancipihi haerere non potest; nimirum quia subtiliores hi sunt, qui acris iudicij falce luxuriantem stylum resecarunt. His scriptoribus si quis addere velit A. Gelli *Noctes Atticas*, et tenebris et noctis opacitate secundis auspiciis poterit emergere, et ad eruditorum diluculum pervenire.

Ceterum quibus in lingua latina excellere animus est, id sibi negotii credant dari, ut etiam prisci Latii faciem et linguam interviseant; non tamen ideo,

ut cum Tiberio aucupentur verborum factores, quemadmodum desita illa et rancida verba olim appellabat Augustus Caesar, ac si in Ianualiis, Minerbiis, Saliaribus hymnis et similibus elegantiam quaerere et venari velle videantur. Prisca ista et antiquata maneat sepulta; nam quemadmodum via trita, sic etiam dictio usitata tutissima est, de sententia Luciani. Docte Horatius in *Arte poetica*:

*Ut sylvae foliis pronus mutantur in annos
Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque,
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et vis, et norma loquendi.*

Antiquata sepeliri volebam, non autem antiqua. Nam optimo aevo a luctucentis auctoribus usurpata, obsoleta dici non possunt, quamvis raro occurant. Interim non ideo veterem linguam et loquendi legem observari volo, ut quis sine iudicio misceat omnia; ideo dumtaxat, ut omnem perspicuitatem sepeliat, ac mentem suam intricatis locutionum laqueis involvat, sibique palmarium putet, indigere interprete. Huc respicit Phavorinus philosophus apud A. Gellium (*Noct. Att.*, I, 10), qui adolescenti veterum verborum cupidissimo, et nimis casce loquenti – (priscos Italos *cascos* appellavit Ennius) – dixit: « Tu proinde ac si cum matre Evandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis desito uteris, quod scire atque intelligere neminem vis quae dicas. Nonne, homo inepte, ut quod vis abunde consequaris, taceres? Sed antiquitatem tibi placere ais, quod sobria ac modesta sit: vive igitur moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus ». Profecto in ser-

¹ Cfr. fascic. mens. Februarii MCMXVII.

¹ *De Offic.*, lib. I.

² *De Orat.*, lib. III.

mone vitium est non solum non capi, sed etiam aegre capi. « Quid, quae, prodest locutionis integritas - inquit Augustinus,¹ - quam non sequitur intellectus audientis, quum loquendi nulla sit causa, sed quod loquimur non intelligunt ii propter quos, ut intelligent, loquimur? » Ut concludam, alia causa est cur antiquam linguam alto supercilio contemni nolim plane ab eo qui ex professo eximius philologus esse desiderat. Nam animo praesenti ausim asserere, absque illa classicos auctores plene intelligi, at fundamentaliter exponi vix posse. Dic enim mihi ex recenti lingua quid sit « hiari »? Exstat enim vox illa in libris *Georgicorum*. Quid « Idalis ovis »? Reperitur enim apud Macrobius, quem eo in loco explicavit Ovidius, quum scripsit:

Idibus alba Iovis grandior agna cadit.

Quid apud Caesarem: « Obiectus erat portis *hercius* ». Quidam legerunt « ericius »; cur non « erinaceus »? Quid apud Ciceronem « mastruca »? Cur Plautus, quem etiam imitatur Vergilius, « herbam dare » dixit, istud est « fateri se victimum »? Utique ex antiquis caeremoniis, ex antiqua loquendi consuetudine ista suppollarunt; quas novis se philologum necesse est....

Sed de antiquitatum Romanarum studio cum litteris coniungendo disceptatio, limites excederet, quos mihi constitui. Quae igitur hucusque disserui, circa propositum a me argumentum sufficient.

DOCTOR HAVER.

¹ De doctr. Christ., IV, 10.

Paci exoptatae

*Descende caelo, quae Superos beas,
descende tandem, bellaque matribus
invisa et atras Principum iras
sollicitis properata votis,*

*Pax alma, places. Teque Ceres vocat
inculta dudum, te freta navibus
praeclosa nostris, dum Alemannus
indomitus dominatur undis.*

*Te docta Pallas, teque furentia
Musae paventes proelia postulant;
teque ipse miles praeda onustus
militiaeque labore fractus
votis fatigat, dum posita super
innexus hasta, victa pericula
revolvit et dulces propinquos,
et patrios memorat penates.*

*Quid, diva, cessas? Cernis ut horrida
crescant iacentum strata cadavera,
quantasque bacchatus ruinas
Mars trepido meditatur orbi?*

*Quae non minaci murmure cornuum
pulsata tellus? Queis furor hosticus
pepercit oris? Quis tumultum
non timuit rabiemque belli?*

*Quis non virili sanguine pinguior
est campus, aut quae non aqua decolor?
Quae uxor cruento Marte raptos
non queritur gemebunda natos?*

*At, diva, primum te soror invocat
tollens ocellos Relligio suos,
suos ocellos; nam revinctas
vincla tenent cohibentque palmas.*

*Miratus altis et Deus Arcibus
tonat frementi murmure nubium;
oh! quale fulmen pavit Orbis
tunc gemutumque dedere gentes!*

*At supplicantem iam Pater obiicit
manum rubenti fulmine dexteræ,
fletuque largo extinguit iram;
en BENEDICTUS amore flagrans*

*iustos Tonantis continet impetus
qualisque pacem gentibus Isaci
precatus Aaron, Ille nobis,
cum precibus lacrimisque, poscit.*

ALEXANDER AURELIJ.

Iosephus Benedictus Cottolengo

Die xxix proxime elapsi Aprilis mensis, Roma Beatorum honores sollemniter decrevit Iosepho Benedicto Cottolengo, domo Brayda in agro Albae Pompeiae apud Subalpinos.

Qui quum primum sacerdotio fuit initatus, Augustam Taurinorum petiit, ubi statim, pietatis et doctrinae laude insignis, inter Canonicos est cooptatus, quibus est nomen inditum a Corpore Iesu Christi. Mitissimo ingenio praeditus, pius, comis, egregia in egenos liberalitate statim inclinavit. Mox vestigiis sancti Vincentii a Paulis insistens, ut bonum ingenii morem sequeretur, omnibus posthabitibus, ad aerumnas pauperum sublevandas devote animum adiunxit. Incredibile memoratu est, qua animi voluptate miseros quosque amplexaretur, ac perpetuis beneficiis cumularet. Hos dominos suos festive appellare in deliciis habebat, et neminem ab aedibus suis repelli patiebatur. Nec modo aegrotos recipere studebat, sed illico, divino spiritu afflatus, mutos surdosque, hebescentes atque comitiali morbo laborantes, caecosque; uno verbo quotquot in urbe sunt graviori et turpi quoque languore multati. Et pater filios moerentes, suavi vultu comiterque, nedum admittebat, sed omnibus adsiduisque curis reficere nitebatur. Quin imo non solum cives excipiebat, sed etiam advenas, quippe - uti ipse iure dicebat - Deus sit cunctorum parrens. Itaque Gallos curavit et Anglos, ipsosque Germanos.... Res nova erat atque omnibus incredibilis; et Taurinensis civitas illos undique miserrimos homines adventare videbat, quos ille nullo habebat discrimine. Ubinam vero?

Primum inter ipsa civitatis moenia peregrinos quosdam infirmos in domum suam deduxit; postea, tum ob magnum aegrotantium numerum in dies crescentem, tum, ob proximorum formidinem, extra pomoerium Augustae Taurinorum se contulit. Haec vero suorum contumelia non eum fregit, sed erexit; omnibusque fortunam hanc suam miserentibus iocose dicebat: « Conterranei mei, qui optime callent hortos colere atque amplificare, dicere consueverunt: *Quo brassica crescat et floreat, ut transferatur oportet* ». Quae verba mirum in modum felici eventu comprobata sunt. Quam apte dicas: « Omnia transformat se se in miracula rerum! ». Quam multae enim subito aegritudinum species illuc congregantur! Ibi operi suo fundamenta altiora posuit, idque re auxit atque ita iuvit, ut in universo terrarum orbe unicum existet. Invictum protinus ab omni rerum humanarum animum exhibuit, et quum se suaque Deo omnino permitteret, opus praeter omnium opinionem ordinavit. Eo enim, veluti agmine composto, caeci convenient et manibus deformiter pedibusque truncati, et quot-

quot natura iniusta fuit noverca. Hos ipse hilari vultu recipit atque in diversas familias bene habitas disponit. Ut iis praesint atque sint auxilio intelligentis iudicii foeminae, coenobium virginum Vincentio patri legifero dicatum aliasque devotas Deo familias constituit, domosque complures et alumnis sacrorum instituendis aperit.

Quum amici idemque acerrimi iudicii viri eum monitum vellent, ne tot res simul amplecteretur, neque tam novis audacibusque incoepitis manum admodum adveret, ut saltem in tot rebus agendis cautor procederet, ut eius operis firmiores radices descenderent, ipse suavi vultu atque libero ore dicebat: « Maiora in proximum faciemus. Nolite timere! Deus est qui domum regit filiosque suos alit ... Deus est, rerum cui summa potestas! ».

Res vero, dum in immensum crescit, mentes animosque civium primum commovere coepit, deinde eos ipsos qui civitati praesunt. Qui, temporis acti experientia docti, rem inopinatam haud liquida mente videbant, atque tot magnis operibus territi, hominem ab improbo rerum ausu detinere studebant, omnemque movebant lapidem, ipse ne maiora insumeret.

Incredibilia, sed vera narro. Benedictus non prodigus, sapiens sed provisor, omnia suo tempore obtinet. Et optime laudatur; nam in primis maximi haberis apud homines, si « qua multo ante memor provisa, repones ». Ipse autem sanctissimus vir in diem usque vivit, omnemque animi fiduciam pro suis aegrotis in Deo provisore placide figit. Ei unice cura penum struere; qui nunquam defuit.

Omnia tunc in illis surgentibus aedibus fervere vidisses ... Hic nova moenia aedificantur, illic opifices adsunt, tum lignarii tum ferrarii, qui magistrorum nutu suis instrumentis diverse ac celerimme adcurrunt, ut hospitia pro novissimis aegrotantibus parent. Et in mediis rebus adest Pater, qui sereno vultu hunc adiuvat, illum salutat, omnesque praesentia recreat. Interea qui rumor, qui gentium strepitus! Hac transeunt currus, illac vectigalia transferuntur, hic morbo lento incedit, ille rerum novitate adcurrit....

Sed forte a me postulabis: Qui vero tot gentibus cibos, vestes, tecta, suppeditilem, aliaque comparat? Qui operariis certo tempore mercedem expedit? Qui medicos dicit et adiuvat? Qui denique medicinas disponit?

Dixi: omnia utique Deus opportune atque largiter concedere, et in diem consuevit. Mirum hoc sane videtur; et omnes Patrem praeumptionis incusant.

Illa tempestate, summa hic rerum obtinebat Carolus Albertus, qui prudens fautor disciplinarum, omnium commodis ac securitati cavebat. Omnes pene Subalpinorum res a suo nutu pendebant. Quum ipse tot mirabilia de homine accepisset, nihil antiquius habuit quam ut eum ad se vocaret, utque ei prudentiam suaderet ac modum in rebus agendis, ne eum aliquando osores nominis christiani maligne carperent. Tunc ipse nil aliud respondit quam: « Deus est qui cuncta gubernat. Deus me posuit per breve tempus, mox alium vocaturus qui melius faciet. Ille rerum omnium dominus; nos eius tantum personam indigne sustinemus. Ipse filiis

ad vitam necessaria comparabit. Deus enim, qui est rerum omnium Dominus, nostra opera minime indiget! ». Inter loquendum forte excubiae ad fores domus Augustae de more mutantur. Tunc ipse argute atque opportune, mirum in modum, se cum excubitore illo accommodavit, qui eo ipso temporis momento collocabatur: « Certo enim tempore, - ait - Deo sic disponente, me alias excubitor excipiet, qui veniet, stabit; et res intus optime erunt ac procedent securius ». Rex eum amplissimis honoribus cumulavit et, suis se precibus regnumque commendans, admiratus dimisit.

Omnia ad eius voluntatem fluunt: pauperes, qui modo centum erant et ducenti, paulo post erunt septingenti et amplius; et continue adveniunt.

Itaque quod patres nostri admirabantur, nos et admiramus: nil unquam tot miseris, quod esset necessarium, ne tantillum quidem, multis labentibus annis, defuit!

Sic enim, in omni tempore, omnibus calamitatibus, quae interdum nos invidunt, haec domus nobis obvia venit. In praeuentiarum septem et amplius hominum millia illic vivunt et curantur, quos veluti in gremio Deus fovet atque benevole alit. Ipsi sanctissimi hominis successores eius moribus mordicus adhaerent ... Et eumdem servare modum adsolent, remisse semper est

Mens hominum rebus sublata secundis!

Via, quae auctoritate municipii tanto nomini est dicata, optime sacra adpellanda esset. Hic enim quae sine intermissione aedes aedibus satae sunt, adsignantur in iuventutis commodum atque ad tutamen. Adsunt et miracula Iuliae

uxoris marchionis Baroli, quae unicum orbitatis solatium putavit, mortales benefactis demererit; et demum clarissimi Ioannis Bosco sacerdotis, qui primus in Subalpinis religiosam familiam instituit, quae sub titulo ac praesidio sancti Francisci Salesii, brevi post tempore, Deo adiuvante, in omni terra percrebuit.

Nunc autem, post quintum et septagesimum annum ab eius obitu, qui Cherrii fuit apud Augustam Taurinorum, Iosephus Benedictus Cottolengo, insignis pietatis, fidei, caritatis monumentum, *Beatus* quam iure meritoque apud omnem Christianum orbem appellabitur!

Precaminor, ut, tali magistro et duce, mortalia contemnentes, uno in amore Christi et charitate, qua mire Ille flagravit, feliciter conquiescamus.

I. B. FRANCESIA.

MUSICAES ARTIS ORIGO ATQUE VICISSITUDINES

Postquam musicae artis nobilissimae naturam, vim legesque proprias vidi-¹mus, non erit abs re eius originem atque vicissitudines repetere.

Hoc unum de musicae origine certo affirmari potest, eam cum homine ortam esse, ac melodiam vocalem instrumentorum concentui praecessisse. Sane, natura duce, homines videmus concitati animi affectus canendo exprimere. Cui quidem naturali melodico instinctui favet totius naturae concentus: astrorum motus, maris et fontium vo-

¹ Cfr. fasc. IX an. III, pag. 164 sqq., et fasc. I an. IV, pag. 7.

ces, ventorum sibilus et flatus, avium modulamina. Ex naturae notatione canora instrumenta inventa sunt,

*Et zephyri, cava per calamorum sibila, primum Agrestis docuere cavas inflare cicutas;
Inde minutatim dulces didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum.*¹

Musicam, «amicam templis» dictam, ut plurimum religiosam, a Diis ortum habuisse, constans tenuit ethnicorum opinio: hinc plures effectae fabulae, quibus mythologia exuberat. Viguit igitur apud antiquissimos populos musica, sed quanam peculiari forma, quantumque perfecta ea extiterit dici nequit, quum pauca nimis monumenta priscae illius aetatis superfuerint.

Primus musicus, cuius historia nomen prodierit, Iubal fuit, «pater canentium cithara et organo». ² Apud Aegyptios ex multiplici instrumentorum varietate maximum fuisse musicae cultum inferre licet, eamque huius populi indolem redolere, voluptuosissimam nempe atque contumaciore animi morositate praeditam. Idem de Assyriis ferendum est iudicium, siquidem eorum musica instrumenta maximam cum Aegyptiacis affinitatem commonstrent. Apud Indos autem ac Sinas, itemque fere apud Phoenices et Persas, eo perfectionis ventum est, ut ipsi suam et propriam musicae rationem constituerint. Apud Hebreos iam inde a remotissimo tempore floruisse, eamque tum vocalem, tum instrumentorum, sacri libri docent; ex quibus etiam comperimus David ac Salomonis aetate maximum eam fastigium attigisse, ita ut choros

¹ LUCRET., *De nat. rer.*, V, 1380-83.

² Gen., IV, 21.

canentium hominum viginti millia Salomon instituerit. Occidit vero musica Babylonicae captivitatis tempore. Graeci, ut in ceteris artibus, musica etiam reliquis populis ita praestiterunt, ut in contemplationem civium veniret, qui musicam nesciret. Non ideo mirum quod de musicis rebus disputatione viri doctissimi, ipsique philosophi, Pythagoras, Plato, Aristoteles. Notissimae autem sunt symbolicae illae fabellae, quae de Lino, Apolline, Orpheo, Amphione, Marsya aliisque traditae sunt; ex quibus colligitur ad cultum deorum, patriae amorem et humanitatis progressum ferendum, Graecos musicam studiose adhibuisse.

Romanorum musica ex connubio Etruscorum Graecorumque orta est; eamque licet Romani adamarint, non tamen immutarunt, neque ad progressum excoluerunt.

(*Ad proximum numerum*).

Neapoli.

G. LEPORE.

INGENUARUM ARTIUM SPECIMINA

«LAOCOON», GRAECAE ARTIS OPUS.

Alexandro Magno vita functo, cuius vicitria arma, longe lateque producta, motum novum Graeciae viribus contulisse videbantur, Graecorum cultura utique in adeptas civitates manavit; immutationes vero passa est; ac si copiam amplitudinemque acquisivit, aureae aetatis firmitatem sensim amisit atque vigorem. Neque mirum: artifex haud liberis civitatibus iam nunc inservit, sed Pergami, Antiochiae, Alexandriae regibus: Attalis, Seleucidis, Ptolomaeis; eius afflatus voluntati, ne di-

cam libito, Maecenatis cuiusquam accommodatur, imo subiicitur; ita ut formam ex ipso ingenio, ab magnificentissimis omnium artium operibus instituto, artifici sissem. Hinc ingenuarum artium tunc temporis inclinatio atque lapsus; quae tamen minus in sculptura contigerunt, cuius opera posteritati tradita haud quidem pro-



sponte oblatam, non amplius declarat. Adeo, novarum illarum civitatum incolas, artis praeclaris productionibus non assuetos, extraneos prope ab iisque alienos tum sese praebere, Graecosque dominantes, aulicos iam factos, pulcri sensum, celsum, ac prope dicam suis iuris, et ipsos paullatim ami-

xime ad superiora, aureae scilicet aetatis, accedunt, sed tamen tanta pulchritudine etiam tum praestant, ut usque ad finem saeculi XVIII p. C. insignes maxime veteris plastices labores habita fuerint.

Inter haec Laocoontis statua recensenda, Agesandri, Athenodori ac Polydori, Rho-

iae scholae discipulorum, opus; quod Romam deductum, Titus imperator in thermis, a se ad collem Oppium in Exquiliis excitatis, posuerat. Diruto celebri illo aedificio, de simulacro, epilogum reddente miserabilis Troiani sacerdotis ac filiorum casus a Vergilio in II Aeneidos descripti, memoria nulla superfuerat, praeter mentionem a Plinio factam in lib. XXXVI, c. v; quum, Iulio II pontificatus sui tertium annum agente, vinitor quidam, cui nomen Felix De Fredi, forte terram fodiens, illud invenit; ad quod visendum, statim ac rumor pervagavit, Pontifex ipse, necnon vir in artibus princeps Bonarrotus, atque Julianus de Sangallo, excellens et ipse artifex, properarunt. Neque aut temporum iniuria aut annorum spatio celebris statua senuerat, si ita loqui fas est; uno tantum vel altero corporis brachio exciso. Optime simulacrum restitutum, Leo X, praeclarus ille bonarum artium fautor, qui aetati nomen suum imposuit, in Vaticanum ferri atque collocari iussit; quod solemnissima pompa factum est. Plaustro enim est impositum, coronis ac floribus exornato; per vias et fora clivumque Capitolinum perductum, immenso populi concursu, inter campanarum festivos sonos. Addunt etiam praestantissimos in arte viros circa plaustrum gestivisse; certe, clarus illius temporis poëtarum chorus in laudem tanti operis sua carmina concinuit.

Quorum quod edidit Iacobus Sadoletus, haud immerito visum fuit cum sculptorio illo signo elegantiae formae certare.

Ipsi vos iudicetis, lectores; operaे enim pretium existimavimus illud e silentio revocare vobisque in nostris paginis propnere. Est autem prout sequitur:

*Ecce alto terrae e cumulo, ingentisque ruinae
Visceribus iterum reducem longinqua reduxit
Laoconia dies: aulis regalibus olim
Qui stetit, atque tuos ornabat, Tite, penates.
Divinae simulacrum artis, nec docta vetustas
Nobilius speciabat opus, nunc celsa revisit*

*Exemptum tenebris redivivae moenia Romae.
Quid primum summumve loquar? Miserrimum pa-
rentem
Et prolem geminam? An sinuatos flexibus angues,
Terribili aspectu caudasque irasque draconum,
Vulneraque et veros, saxo moriente, dolores?
Horret ad haec animus, mutaque ab imagine pulsat
Pectora, non parvo pietas commixta tremori.
Prolixum bini spiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri et sinuosis orbibus oram
Ternaque multiplici constringunt corpora nexus.
Vix oculi sufferre valent, crudele tuendo
Exilium, casusque feros; micat alter, et ipsum
Laoconia petit, totumque infrague supraque
Implicat et rabido tandem ferit ita morsu.
Connexum refugit corpus, torquentia sese
Membra, latusque retro sinuatum a corpore cernas.
Ille dolore acri et laniatu impulsus acero,
Dat gemitum ingentem, crudosque avellere dentes
Connixus, laevam impatiens ad terga chelydri
Obicit: intendunt nervi, collectaque ab omni
Corpore vis frustra summis conatibus instat,
Ferre nequit rabiem, et de vulnera murmur anhelum
fest.*

*At serpens lapsu crebro redeunte subintrat
Lubricus, intortoque ligat genua infima nodo.
Crus tumel, obsepto turgent vitalia puls,
Liventesque atro distendunt sanguine venas.
Nec minus in natos eadem vis effera saevit,
Implexuque angit rapido, miserandaque membra
Dilacerat: iamque alterius depasta cruentum
Pectus, suprema genitorem voce cientis,
Circumiectu orbis, validoque volumine fulcit.
Alter adhuc nullo violatus corpore morsu,
Dum parat adducta caudam divellere planta,
Horret ad adspectum miseri patris, haeret in illo:
Et iam iam ingentes fletus, lacrymasque carentes
Anceps in dubio retinet timor. Ergo perenni
Qui tantum statuistis opus iam laude nitentes,
Artifices magni (quamquam et melioribus actis
Quaeritur aeternum nomen, multoque licebat
Clarius ingenium venturae tradere famae)
Attamen ad laudem quaecunque oblata facultas,
Egregium hanc rapere, et summa ad fastigia niti.
Vos rigidum lapidem vivis animare figuris
Eximit et vivos spiranti in marmore sensus
Inserere aspicimus, motamque iramque doloremque;
Et paene audimus gemitus: vos extulit olim
Clara Rhodos, vestrae iacuerunt artis honores
Tempore ab immenso, quos rursum in luce secunda
Roma videt, celebratque frequens operisque vetusti
Gratia parta recens. Quanto praestantius ergo est
Ingenio, aut quovis extendere fata labore,
Quam fastus, et opes, et inanem extendere luxum!*

COMMUNIA VITAE

De flammiferis.

Noster si Cicero in suam olim Urbem rediret, et litterarum usque cupidus, *Altam Romam* forte videret eamque vellet oculis usurpare, admiraretur procul dubio, legens hunc titulum. Bona venia sua, nos Horatii auctoritate freti, ei admiranti una cum lectoribus nostris, praeceptum sollemniter recordamus:

*Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota procudere nomen!*

Atqui Ciceronem habui socium, et Romam mecum ille perambulans, semel atque iterum quum iuvenculos nostros saepissime cerneret flammiferos incensos ad nova tabaci volumina, Tusca quae vocant, admovere, ut inde densa nubila fumi, ac si Vulcani essent, emitterent, etiam atque etiam curiositate tactus, et rem cognoscere voluit, eiusque nomen avidissime quaesivit.

Ne tibi grave sit, bone Cicero noster, - dixi - si paucis te monitum de omnibus faciam. Quae Roma tua fuit, evanuit; multa eam saecula deturparunt. Venerunt Barbari, et non modo consules expulerunt populumque Romanum, sed, quod tui maxime interest..... verborum vetus interiit aetas,

Et invenum ritu florent modo nata vigintique.

Hi enim flammiferi, quos pueri strepentes venditant, quosque graeco fonte *ellychnia sulphurata* appellare fortasse malueris, ad nos, post improbos doctorum hominum labores, veluti clara novae humanitatis signa, pervenerunt. Hac nostra aetate parvi omnino et flocci, ut itam dicam, aestimantur, et uno asse multos tibi comparare poteris. At quam lente tantum bonum sunt adepti!

Qui primus gentibus, ut scis, ignem invexit, seu Prometheus, quod aethereis terrena miscuerit, et sinceram patrio mente sit furatus Olympo, posuistis sub rupe

Scythica ab aquila rodendum. Et tuus Horatius cecinit:

*Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.*

E contra, recentiores magnis laudibus extulerunt lapidibusque marmoreis cumularunt, qui hanc eamdem artem inter nos induxerunt. Parvulus hic calamus, ligneus esse potest vel cereus; et callide paratus, magnum semper incendium excitabit. Olim tu eloquenter dixisti, et veneranda omnis antiquitas nobis tua verba transvexit: *Parva saepe scintilla magnum produxit incendium!* Quanto verius atque opportunius dicendum est de exigua hac arundine, quam nos «flammiferum» dicimus! Et boni illi vetustissimi parentes, quo studio, quanto labore ignem sibi comparare nitebantur! Primum ignem ciebant e lignis simul confricatis, vel e lapidibus flammam excitabant rapide communicandam aridis lignis. Et sapide tuus cecinit Vergilius:

Primum silici scintillam excudit Achates.

Quem autem morem sequi adhuc et illas gentes quae modo ad cultum humanitatis, opere Christianorum, venerunt, nostri exploratores, qui ad eas novissime appulerunt, scriptis fusius narrarunt et memoriae prodiderunt.

Longum omnino iter fuit atque iriendum; sed tamen optimum portum attigimus. Albo signanda lapillo fuit illa dies, qua huius rei inventor ab hominibus salutatus fuit.

At, at,... vides hanc capsulam? Parvula est equidem, et variis insuper depicta figuris; nec omnibus honestis, nec semper castis, quin imo saepe turpissimis coloribus deformata; ingeniose omnino clausa, multos atque multos flammiferos continet. Et puer potest hinc facile magnum produce incendium. Hic enim flammiger tenuis et brevis, apparatu quodam chymico confectus atque in vertice cooperatus, est fructus plurimorum saeculorum laboris assiduique sudoris. Chymicus autem est apud nos vir ille multorum interioris naturae studiorum peritus, qui summa arte secreta arcana e latebris investigando

comperit. Verissime de ipsis dices: Virtus negata tentat iter via!

Haud possum, nec ipsa res permittat, nec meae ingenii vires sufficient, te tamdiu morari, ut hanc tibi materiam longius tradam. Quid addam? Nec unus omnia invenit, sed complures viribus simul adiungit ad supremum tandem inventum per venerunt, et commodum hoc instrumentum tamque mortalibus utile retulerunt. Et hic mihi exclamare liceat: Multa tulit fecitque humana gens; sudavit et alsit!

Revoca in mentem quod in mysticis olim certaminibus a Graecis factitatum erat, ut alii aliis facem per manus tradarent. Veteres illi sapientes, dum Palladem omnium artium inventricem et quasi parentem venerantur, arcano quodam sensu progressum disciplinarum adumbabant, quo aetas aetatem inventis suis, quasi totidem facibus, sic auget, ut ad supremum illum doctrinae gradum perveniamus, ad quem hominum mens possit adsurgere.

Omnies enim late populi huiusmodi flammos in immensum producunt, eosdemque ut inutiles, ni peius dicam, destruunt. Inopes nos copia facit. Angli attamen, quos nostrae aetatis Romanos esse dixeris, quod opibus valent, et imperium super et Garamantes et Indos protulerunt, prae ceteris magis de hac re sunt prodigi atque largiores. Quae profusio! Adsunt eis propiores Austraci, et longe proximiores sunt Itali, qui vel in hac re conspicuum locum obtinent. Quot inde utiles fructus pro aerario!

Ad haec, quot hominum manus adlaborant; et ut omnibus requirentibus respondant, totis usque nervis est eis admittendum! Tuus Vergilius, de Italis quoque inflammiferis serendis illud celebre carmen subridens ditaret:

Illi inter se se magna vi brachia tollunt!

Namque non modo cives eos adipiscuntur, sed et advenae, qui nostros uti aptiores quaerant, et maiori quoque pretio emere consueverunt.

Pulcrum admodum sit atque imprimis laudandum, si huiusmodi commercium

etiam atque etiam Itali possint effundere. Utinam et Itali, post lumen per flammiferos adeptum, et sapientiae sint lumina, atque humanitatis splendorem in alios populos, veterum Romanorum more, conferre adsuescant!

In cauda venenum, dixit olim vester Horatius: at ego profecturus tibi gratum odorem relinquere cupio. In praesentiarum sunt complures intelligentis ingenii viri, qui eo maxime contendunt, ut « flammiferos profumatos », quos dicunt, inveniant, quorum vertex eupatoria intinctus, una cum resina aromatibusque aspersus, suavissimum halitum emitat.

Hoc erit lumen, superabit quod omne lumen!

Vale nunc, o verum nostrum decus, romanumque lumen atque ornamentum, et inter beatos amoenorum locorum habitatores, si quid est nostri adhuc desiderii, de nobis et deflammiferis diutissime loquere.

Ille abiturus, mihi et omnibus bona omnia auspicatus, haec de romanis ingeniosis iudicia meminit, qui non secretis disceptationibus, sed rerum experimentis atque operibus vere civilem virum exhibent: « Inter ea - ait - vale; grates tibi sint maximae pro munere, et ut aliqua saltem ratione par pari referre possim, dicam me tibi gratulari nostrisque civibus pro monstruosis inventis, pro clarissimis meritis, quorum rumores ad nos usque pervenient; quosque tenerius moneam, ut Naevium nostrum respiciant, qui scripsit:

Primum ad virtutem ut redeatis, abeat is ab ignavia, Domo patres, patriam ut colatis, potiusquam peregrini probro.

Vale... »

Tum gravem somnum excussi.

SUBALPINUS.

Verba etiam si adsint, et possint sine ullo tuo labore decurrere, tamen temperanda sunt. Nam, quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit, ita oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum haec erit: Tardiloquum te esse iubeo.

SENECA, Epist. XL.

PRO IUNIORIBUS

De Chlodoaldo narratio.

Hoc loco, gratiis ante luculenter actis, collaudataque liberali sibi gratificandi voluntate, virgo discessus coepit, rem ab initiis repetens, a patria domo, inopini in illam regionem adventus, in eaque nefarie (ita enim loquebatur) commorationis lacrymabilem seriem exponere: tum consilii sui rationem omnem retexere: quemadmodum de fuga dudum cogitasset eamque ne arriperet, per horribilem sacerdotum vigilantiam, stetisset, neque tamen spem unquam abiecisset, fore, ut idonea rei gerendae opportunitas sese olim offerret: « Hanc vero iam non expectandam diutius, o viri, duco: allata est vestri adventus opportunitate. Ita enim me universis probitate et fide probavi, ut nemo sit hoc tempore, qui me huiusmodi quicquam machinari suspicetur. Arripite igitur, oro vos, conficienda rei praecaram occasionem: nolite mirificum tempus per socordiam dimittere: non mea magis, quam vestra salus agitur. Dabo ego operam, pro imperio, ut vinculis eximamini: vos, ipso noctis proximae conticinio, praesto estote, meque ex his locis in Daniae provinciae angulo (quod est mihi solum natale) sistendam eripite. Pretium tanto facinori par, a Superis prius, tum deinde a patre meo, qui rerum ibidem potitur, feretis: si ullum est tamen praecclare gestorum pretium propositum iis, qui unam virtutem sequi atque spectare in recte factis solent ». Quum huic orationi vehementer ab illis esset assen-

sum, atque illud insuper addidissent, paratos se omne, capit is etiam, discri- men, pro tanta humanitate, liberalitate, constantiaque subire; iure iurando utrumque adegit pudica virgo, nullam sibi ullo modo per eam occasionem infamiam creaturos.

Atqui, quum haec pulcherrime age- rentur, venit improvisus a tergo (indi- cio cuiusdam Girondae, veteres cum Hildegarde, nullo tamen huius in se merito, inimicitias exercentes) Sacerdos maximus, vultu igneo, caperata fronte, oculis emissitiis; ac primo Hildegarden atrocibus diris aggreditur, mox capti- vos ipsos maledictis execratur; omnes denique ferreis manicis vinctos, in penitissima secretioraque carceris detru- diubet. Tanta spe subito deiecta Hildegarde, e Sacerdote captiva, carnificis manus in horas singulas opperiebatur. Nihil illam iuverat gratia, suavissimis moribus et iuventutis flore collecta, nihil illibata virginitas. At divinitus fa- cium est ut Hildegarde, nec infortunii socii tristem subirent vitae finem, nec qui eos manere videbatur. Unde minus sperabant salus advenit.

Hoc tempore invictissimus Caesar Carolus, cognomento Magnus, virtuti- bus rebusque gestis Maximus, in Saxoni- am venit, studio propagandae reli- gionis, quo semper arsit acerrimo. Ad eum supplex accurrit senior Chlodoal- dus, gemitibusque perpetuam seriem calamitatum evolvit: de Hyacintho fi- lio, quem nuper Hirminsuli mactatum existimabat, queritur vehementius: ac- cusat sacerdotum saevitiam, poenas exposcit. Quotquot aderant Caesari, sive proceres, sive milites, ad unum omnes flevere. Ipse Carolus maxime

omnium, Chlodoaldi lacrymis et gravitate commotus, militibus imperat, ut Hirminsulis in locum properent; omnes ad se sacrificulos vinctos trahant; captivos, si qui sint, solutos. Nullus toto luco sacerdos est visus; quisque enim sibi timens ab infenso principe, cuius nomen erat late sanctissimum, fugam arripuerant, ubi de eius adventu cognoverant. Captivi reperti nonnulli, in quibus Ischirion, Hyacinthus et Hildegarde: iique omnes, ferreis manibus compedibusque laxatis, ad Caroli tribunal perducti.

Hic, ne multus sim, Hyacinthus puer, simul atque patrem ad Caesaris pedes aspexit, in illius amplexus et oscula convolavit. Hildegarde Ischirionis soror, Ischirion Clodoaldi filius natu maior, ex eorum oratione, certisque indiciis apparent. Plausus, quo regia domus insonuit, maior fuit, quam ut verbis adumbrari possit. Caesar vero, avitae fidei dilatandae percupidus, hinc ansam arripuit Chlodoaldum eiusque familiam ad illam traducendi. Res e sententia cessit: victi quippe omnes Caroli auctoritate et clementia se christianis imbui disciplinis, ac lustralibus undis aspergi, nullo negotio passi sunt. Ac caecus quidem Chlodoaldus, quum sacro fonte ablueretur, visum, quo diu carebat, ex insperato recepit. Clamor illico exortus est ab adstantibus multo festivior, quo cumulatissimam Chlodoaldo gratulabantur felicitatem: simulque Carolo Magno plaudebant, cuius gloriae non homines tantum victoriis, sed Caelites ipsi miraculis militarent.

H. L.

Quis est pauper? Qui sibi videtur.

SENECA, *De moribus*.

ANNALES

Et Aprili mense nuper elapo **Euro-paeum bellum** in Gallia fere omnino circumscriptum vidimus, ubi Angli hinc, inde Galli, ut Germanos a captis antea regionibus repellerent, omnibus nervis elaborarunt. Nec equidem parvo successu: illi enim, Cameracum versus victricibus armis actis, offensionem feliciter Atrebatum inter atque Lentium intulere; atque Lesino et S. Petri oppidis illic receptis, Atrebatenis provinciae magnam partem patriae suae reddere valuerunt. Galli autem actionem invexerunt per longum iter ab Augusta Suessionum pergens ad Rhemos et Argonarum oras; asperimoque certamine praecipuis locis potiti in Moronvilliers montibus, optimam sibi speculam in hostes posuerunt inter Matronam flumen et Axonam. Eodem tempore, in Suessionium montium dorso hostium munimentis eversis, Condé arcem redemerunt, frontem ita sibi efficientes, qui recto tracto, neque eodem interrupto, a Nantogilo ad Braium expanderetur.

Quo huiusmodi clades obscurarent, in victoria Teutones sese iactarunt, quam ad Stochod flumen contra Russos retulerunt. Re quidem vera, eorum, quos improviso atque fortasse ex civilium rerum suarum discrimine etiam tum perturbatos, aggressi sunt, viginta millia impotes reddidere. Sed tamen, si locus ille aptus erat ad Russorum progressiones pandendas, haud favorabilis omnino Teutonis praebetur, ut sese in Russorum territorium ulterius insinuent; dum belli campus illic, inter meridiem atque occidentem Pripet paludum versus, maxime versatur; ubi Russi nihil timere videntur.

Qui quidem, cum Anglis, ut alias diximus, in Mesopotamia coniuncti, Turcas

sua vice vexant, iuxta Tigrim flumen longe lateque iterum profligatos.

Itali haud magni momenti certamina cum Austriacis habuimus, qui, vere novo redeunte, nostras defensiones explorare apparent; pugnandum vero fuit, idque factum est feliciter, in Lybica regione contra rebelles, quos El Baruni ille ardolio in Agilah pago, inter vastas solitudines sito, rursus coegerat.

Maritima denique concursio prope Du-rovernum habita est, in eaque duae Teutonum naves, ex iis quae contra torpediniferas lintres mitti solent, in ponto demersae sunt. Ab ipsorum autem submergibiliibus, piratico in illo suo bello, ne navibus quidem pro vulneratis adhibitis parsus est; quod nunquam antea auditum facinus Angli orbi universo sollemniter denunciarunt.

Inter ferocia haec odiorum flagitia, pie-tas Summi Catholicorum Pontificis, Benedicti XV, per novam semper sollicitudinem refulget; ex qua his diebus effectum est, ut patres familiarum, tribus saltem liberis constantium, qui per annum integrum cum dimidio captivi detinerentur, in civitatem neutri bellantium parti faven-tem, transferrentur. Itaque eorum centum et ultra iam Helvetiae solum attigerunt.

* *

A tristi autem belli arguento recedere hodie non possumus, quin addiderimus, Civitates Foederatas Americae Septentrio-nalis, quum expostulatis suis de submarinis navium insectationibus coerceendis minime satisfieri vidissent, et ipsas Teu-tonicis imperiis bellum, die IV superioris mensis Aprilis, indixisse; cuius prima actio fuit omnium Teutonum navium retentio, quae in ipsarum portibus tum essent. Eas civitates Cubana quoque et Panamensis respublicae sequutae sunt; dum Sinensis atque Brasiliensis commercium quodlibet cum Teutonibus pro nunc interruperunt.

* *

Russorum civiles res, ob constitutas praesertim singulas militum, opificum aliorumque operariorum delegationes, quarum altera alterius operam invigilaret, anxiis Europae animos aliquantis per tenuerunt, verentes ne discordia Russica civitas dilaberetur. Dispulsae tamen sole nebulae, serenum satis aperire diem iam videntur, omniumque esse voluntas, ut pax quaevi-s a Teutonibus oblata, quae foederatorum Europae populorum coetum dissociet, omnino reiiciatur. Uno pariter consensu leges abrogatae sunt circa religionis stirpiumque disparitatem, itemque est cautum de capitis poena atque de regalis familiae privilegiis, cui exilium decretum est. Quo citius denique possibile fiat, iuxta cuique civi tributum suffragii ius, Petropoli constituens, quod vulgo dicitur, concilium congregabitur, hoc praesertim munere, ut novum civitatis regimen novaeque gubernii exercendi rationes condantur.

Kal. Maiis MCMXVII.

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Ante Kalendas Maias scribo; atque sum nescius quidnam illa die, quam sibi feriatam fecerunt, acturi hoc anno sint opifices. Spero tamen fore ut, dum in bello acerrime odio heu! furunt sanguisque tot iuvenum misere effunditur, qui domi manserunt in pace illam diem agant, agrestemque tranquillam vitam, quae tantum animum sublevat, paucis saltem horis, ex maiorum consuetudine, appetant. Qui utique **Kalendas Maiis in agros** cantitan tes exire solebant, indeque virides reportare arborum ramos, eosque ante domorum fores ponere. Itaque mos invaluit, ut unusquisque eo die aliquid viridis ramusculi vel herbae

ferret; quod si non fecisset, poena erat, apud nonnullas Italiae nostrae civitates, ut ... madefieret. Haec vel a Romanis accepta videntur, apud quos Flora, cunctorum fructuum dea, mense Maio colebatur; quin imo ab Atheniensibus, qui in templo Delphico εἰρεσιώνην ponebant, hoc est ramum olivae sive lauri, variis fructibus onustum. Sic apud nos, quum virent omnia, illud *calendimaggio* fuerat, putamus, introductum, quasi per hunc modum fructuum ubertatem ominari vellent, et bene precari. Atvero almam ultro pacem nunc precari oportet, primam feracitatis cum culta terra atque ubertatis materiam!

**

Sed Maius mensis ut **de florum cultu atque usu** aliquid dicamus facile nos ultro trahit. Floribus enim, quo magis progressa est humanitas, eo maiores in vita partes sumpsisse videntur: haud scilicet ut adspectu laetissimo vel suavi afflatu nos unice recrearent, sed et in sacris sollemnibus adhiberentur, et in con-viviis, et quibusvis tum iucunditatis, tum doloris horis, domus atque habitus nostros exornarent. Namque ut coronis ad coenam caput cingeretur, notissimum est apud priscos modum fuisse; nobis vero, ut quavis per annum memori die, parentibus et amicis offeramus; et in nuptiis aurantii citri corollis sponsam ornemus, et in funeribus serta, vivacis semper affectus veluti pignora, defunctis tribuantur.

Est etiam floribus singulis quaedam quasi propria significatio; quin etiam abditus sermo vulgo tribuitur et colori, et magnitudini, vitae, odori apprime conveniens: uti rosae amoris, myosotidi fidelitatis, violae pudicitiae, lilio innocentiae, etc.

Traditum autem unanimi consensu est florum omnium quasi regnum rosae, cuius suavissimam descriptionem Plinius habet in *Hist. nat.*, lib. XXI, 4: « Nascitur – sic ille – spina verius, quam fructice, in rubo quoque prove-niens, illic etiam iucundi odoris, quamvis an-

gusti. Germinat omnis primo inclusa granoso cortice; quo mox intumescente, et in virides alabastros fastigato, paullatim rubescens dehiscit, ac sese pandit, in calycis medio sui stantis complexa luteos apices ». Hunc itaque florem, pulcritudine principem, Dearum pulcherrimae veteres sacraverant; fabulabantur imo, candidam olim rosam fuisse, at ex sanguine Deae, cuius pedem in horto deambulantis spina forte pupugisset, flagrasse purpura; causamque addebat per quam, uti rosa brevi viget, quam

una dies aperit, conficit una dies,

idem sit et de forma corporis atque iuventa.

Ex eo quod rosae Maio mense praesertim floreant, mensis hic, « rosalis » est nun-cupatus. Quamquam hodie, assiduo cultu admotoque per artem verno calore, hieme simul atque aestate cuique liceat rosis ex variatissimis coloribus flavo, rubro, albo, roseo, carneo, gaudere.

**

Sed iam mollis cuiusdam carminis notae satis tribuimus; quinimo « superque » addit Badaiocensis meus, qui **mensarum** consuetam **notulam** a me exspectat. Placide, amice mi; tibi enim ut morem geram, sum apprime paratus:

Intrita panis frixi.

Thynni rotulae muriaticae.

Asparagi butyro decocti.

Pullus exossatus, scitamentis fartus.

Scriblita, Florentinorum more.

Eaque tibi bene vertant!

**

Iocosa.

- Unde venis?
- Ex hamatili piscatu.
- Quid autem retulisti?
- Perfrictionem!

.IOSFOR.

AD PRAETORIUM⁶⁾

MUL. V. Et unus ipse adprecabatur filii,
Ei quos oblatos excipiebat mitis.

MUL. II. Suavis...

MUL. I. Obvius...

MUL. II. Plenus officiis.

MUL. VI. Suos qui noblebant nostros accedere
Acerbis verbis corripiebat admodum.

MUL. II. Et hunc damnabunt improbi ad sup-[plicium!

MUL. I. Sion infelix, quos tibi luctus paras!

MUL. IV. Manent funesta fata quae Ierusa-lem!

MUL. V. Potes sagittam tu pulsare, Fulvia,
Ferit penates nostros quae nunc patriae!

MUL. II. Ad hoc venimus, hoc nos unum [quaerimus.

MUL. I. Dies parantur infausti sed proxime;
Dies ut olim servitutis barbarae.

MUL. III. Tulit quis hanc gravem malorum [seriem?

FUL. Ibo, sorores, ad Tribunal Praesidis,
Petam salutem, quaeram totis viribus.

Scio sed Pontii quam sit infirmitas!
Scio quam Caesaris curet amicitiam!

Ad istam mittit corde nam levissimo
Decus familiae, salutem populis!
Malum fuit semper gentibus infirmitas
Dominantium!¹⁾

MUL. II. Malorum quae congeries
Caput ferit Solimae! Ferit ad exitum!

FUL.²⁾ Sinamus flere! Nam sunt inanes lacri-mae.

Iesus flagitiis percuslus ducitur
Per urbem, devinctus caput spinulis
Et omnis diffluens ad talos sanguine.
Habet crucem gravem positam in hume-

[ris...]
Meas ad aedes transit! Quod supplicium!
Duo latrones perducuntur pessimi

¹⁾ Exit.

²⁾ Illico rediens summo dolore percussa.

Per omnem clari regionem crimin...

At ipsi liberi incedunt furciferi!

Iesus gravatur e contra Crucis pondere.

SCENA XI.

MULIER ALIA (VII) ingrediens:

Modo quo dicitur, sed illa foemina
Adest magistro, prodit quae sudarium?

Modo sciebam! Qui vocatur? Est? Dicitur?
Berenices vocatur! Eius devotio

Placet vel ipsis adstant qui militibus!
Sinunt eam propius magistrum accedere.

MUL. I. Quid est?

MUL. II. Res miranda?

MUL. VII. Vultus effigies
Manet supersculpta pulchrius in sudario.

Mirantur omnes, mirantur et milites,
Solent superbe monstra qui despernere.

MUL. I. Deus faxit omne quidquid pecca-tum!

Homo cadat semper in verticem capitis!

MUL. VII. Sed urgent acrius magistrum milites
Crucemque portat fortiter denuo!

MUL. III. Quis ante nostrum viderit scele-stius?

MUL. IV. Tuus sed Pontius reus quot cri-minum!

FUL. Adest si Pontius reus, quis innocens?
Quis hunc ad crimen impulit ferocius?

MUL. I. Precamur ut salvet Deus Ierusalem!

FUL. Tibi quid inclita videtur Herodias?

HER. Dies adsunt nobis pleni moestitia,
Ferunt horrendum proximum supplicium.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. – ROMAE.



CONSTANTINI PISONI

Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCLIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candelae ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamentis decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgica fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diuturnitate et fulgore unicae, ideoque
iure proprietatis septae.



COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.

“Credito Centrale del Lazio ,”

Societas anonyma ex soluta summa libell. 500.000

ad decies centena millia libell. efferenda

oeconomicis Catholicorum Institutis Romae, in Latio eiusque provinciis conterminis
promovendis, dirigendis, adiuvandis, amplificandis

Pecuniae sibi ad quotidianam computationem concreditaे fenus rependit
ad 2.50 % et 3 %. — Huiusmodi commercii rationes vel per litteras instituit.

Parsimoniae libellos emittit, sive inscripto possessoris nomine, sive cuique
latori liberos, cum fructu 3.50 %; et 4 % si de parva summa agatur.

Emittit pariter libellos vinculo adstrictos, neque non fructiferas syngraphas;
quarum tamen de quaestu convenientum est.

Exterorum nummos atque nummarias tesseras emit venditque.

Pecuniam per obligationis chirographa concedit, aliorumque nomine obligationis
chirographa exigit.

Aes alienum, acceptis commercii tutis rationibus, solvit.

Operationes omnes, quae arcariae rei sunt, pro committentibus gerit; locaria
repetit; vectigalia solvenda curat, etc

Sedes Princeps ROMAE, via dei Cestari, 21

Subsidiariae: ALATRIAE, BRACENI, FARAE SABINORUM, PRAENESTE, SUBLACI

C.DEL VECCHIO



SINGUL